

non veri sapientis sit, sed vani ac stolidi eorum, quæ ipsi incognita sunt, iudicium ferre: At expressè hic sermo fit de eò, cui, quæ non capit, nec cognoscere potest, stultitia sunt; ergo nequaquam de verò Philosophò, hic enim, donec rem clarè & distinctè perceperit, iudicium suspendit: Sed aut de homine planè rudi, atque omni cognitione destitutò, qui *cæcum suorum affectuum impetum sequitur*; quemadmodum explicat Erasmus in Annotat. in hunc locum; vel *qui animaliter vivit, aut qui carnaliter de Deo sentit, ea, quæ videt in corporibus imaginans esse in Deo*, ut habet Hugo Cardinalis hòc locò, aut de Pseudophilosophis, quibus, quæcunque ipsos fugiunt, & quorum incapaces sunt, illicò damnare, atque pro stultitiâ habere, in more positum est. Et hos Spiritualibus opponendò admodum significanter Animales appellat Apostolus, utpote qui continuò occupati circa ea, quæ vitam hanc animalem, hoc est, vegetativam & sensitivam spectant, qualia sunt victus & amictus, nec non honores, divitiæ, voluptates, &c. nunquam mentem à sensibus & sensualibus avocârunt: Sed iis toti immerfi, spiritualia, hoc est, quæ ad animam rationalem, quæ spiritus est, pertinent, qualia sunt cognitio Dei, atque sui ipsius, negligunt, & à se longè remonent atque abjiciunt. Quod idem velle videtur D. Hieronymus in hunc locum. *Qui spiritum Dei non habet animalis est, quia animalium ritu versatur, qui putat nihil esse post mortem: Et ideo, ut animal ventri libidinique committit se, æternâ morte periturus.* Et Bedâ in Expositione hujus loci, ex D. Augustini Operibus collectâ. *Qui carnaliter sapiunt, & carnalia de Deo sive in hac vitâ, sive post hanc vitam sperant; atque desiderant animales sunt.* Et paulò post. *Quis carnalis & animalis homo non per phantasmata sui cordis evagetur, & constituat sibi Deum, qualis ei pro suò carnali sensu placuerit, atque ita credat tantùm longè aliter, quàm Deus est, quantum à veritate vanitas differt?* Et rursus. *Qui vivit ex corpore, carnalis homo vel animalis vocatur. Carnalis, quia carnalia sectatur. Animalis autem, quia fertur dissolutâ lasciviâ animæ suæ, quam non regit spiritus, neque cœrcet intra metas naturalis ordinis, quia ipse se non subdit regendum Deo.* Sic etiam Dionys. Carthusianus hòc locò. *Animalis homo, id est, carnalis & vitiosus, cujus affectus, & intellectus in sensilibus detinetur.* Cum quibus duobus consentit D. Anselmus hòc locò, utpote apud quem eadem fere occurrunt verba: Et Erasmus, qui sic in Annotat. in hunc locum. *ψυχὸς velut animum, id est, adfectus sequens humanos. Etenim quum Paulus hominem dividat in tres partes, carnem animam, & spiritum: Hic animæ vocabulò pro carne videtur abusus.* Nec ab his abire videtur Zwinglius, quando in hunc locum commentatur. *Animalis hic dicitur ab anima ψυχὸς. Idem autem valet ac si diceret carnalis. Nam homo (quatenus Dei spiritu renatus non est) non solum corpore caro est, sed*